



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 12. Amen dico vobis ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. v. 13.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**D**omine, quidquid sum, quidquid habeo, aut possum totum sine ulla contradictione aut exceptione, totum, inquam, fundo lubens pro te, totum id tibi consecro, deo voo in corpore & in anima, extra & intra, totum do & reddo tu accipe me & omnia mea, sicut accepisti unguentum hoc ab hac persona, atque utinam posses maiori cum liberalitate, amore, lacrimis cordis & corporis me offerre! ne igitur despicias manus meum, licet à peccatorum maximo offeratur.

§. 12. *Amen dico vobis ubicunque predicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo dicetur & quod hac fecit in memoriam eius. v. 3.*

O Discipuli! opusne est ut Christus tantis confirmet mulierem hanc bene fecisse, dicendo *Amen*, & comminando, quod etiam si vos modo traducatis factum eius, tamen alii in toto mundo sint laudaturi post mortem suam, hanc mulierem non alia, quam sancta intentione hoc unguentum effudisse in caput Iesu!

**A**h quantum molis est inducere hominem ad credendum! ipse Dominus & Deus ipsorum dicebat, & illi tardierant ad credendum. Ah, mi Deus, quoties te intus & extra clamantem audiui & audio, & tamen vix induci possum, ut credam verbis tuis, & inspirationibus sanctis, ut vel relinquam ad momentum iniquitates, & iniquum propositum meum. Tu doces clare, tu inspiras, tu moves varijs efficacibus & terribilibus argumentis cor meum, & tamen non moveor ad consentiendum tibi quasi non ita esset, uti inspiras. Ah Domine doleo, quod non magis huc usque voluntatem meam tuis verbis & sanctis inspirationibus submiserim: Commove potenter divina virtute tua ex hac hora cor meum, quod tibi uni presento, ut ijs assentiar, quæ proponis, sunt enim omnia suavia, sana, salubria & nulli nisi amentis aspernanda.

§. 13. *Tunc abiit unus de duodecim qui dicebatur Iudas Iscariotes ad principes Sacerdotum & ait illis. v. 14.*

Infidus discipulus, incredulus, obstinatus, amarus, ad hæc verba Christi surgit & abit à Christo Domino suo ad similes sibi infidos, incredulos, obstinatos, avaros principes Iudæorum non valens perferre excusationem Christi pro muliere hac, sed permanens in invidia sua & opinione propria, cogitat quomodo se vindicare possit, & hæc & suum suppressere magistrum, ut ipse perveniat ad divitias, ad quas avare inhiabat, unde se insinuat adulator & proditor apud Principes mundi, qui terrenis intenti cælestia respuebant sicut ipse.

De